

ultime voluntatis predicti Jacobi ipse expressit, quod omnia bona relinqueret michi et bone memorie Frederico fratri meo et filio seu filie seu si nascerentur et de uxore quid agendum esset eciam expressit et nato filio ante suam mortem in ordinatione ultima prius expressa remansit sua voluntas habendo confidenciam de me, ut quidquid possem salva consciencia recta de bonis facerem pro filio, recolens ut credo de sibi expressis in parte hereditatis mee resignacione concernentibus meam conscienciam.

Tercio de actis per me post mortem dicti Jacobi circa predicta bona hereditaria usque ad tempora translationis in ecclesiam Hildensemensem, de qua subsequitur, est considerandum, quod post mortem dicti Jacobi intendebam omnino quantum possem salva tamen consciencia recta attentis illis, que premissa sunt, concernentibus restitutionem de bonis paternis faciendam agere in ipsis bonis pro filio dicti Jacobi, unde acceptavi gubernacionem ipsorum bonorum et de ipsis bonis et redditibus eorum in expensis et in necessariis aliis fuerunt procurati relicta Jacobi et puer ac Fredericus frater ac Benedicta soror prout decebat et quia summa exponendorum in prompta pecunia racione testamentorum patris et matris et debitorum per Jacobum, legatis tamen per ipsum non inclusis, videbatur ascendere quingentas marcas et triginta duas et ultra denariorum Luneborgensium et summa legatorum per Jacobum videbatur ascendere ultra suprascriptam summam nonaginta sex marcas Luneborgensium denariorum et ultra hoc quedam, que per heredes perpetuo de hereditate persolventur seu ad vitam predictae sororis mee et aliorum, que erant legata tam per patrem quam per fratrem predictum, unde mandavi Nicolao Garlop et quibusdam aliis consangwineis et amicis meis nunc defunctis, ut venderent terciam partem cuiusdam dominii nostri in salina pro trecentis marcis, que vendicio fuit facta et quedam de predictis debitis de pecunia inde habita